



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Difficultas II. De Præcisionibus objectivis in Divinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

RESPONDETUR. Distinctæ sunt hæc propositiones. Ex eo quod Deus sit infinitus in essentia, sequitur debere etiam dari in illo distinctionem virtualem. Alia autem est hæc propositio, ex asserta distinctione virtuali sequitur infinitudo essentiae, & hoc ipsum est, cuius demonstratio, hic petitur. Unde primo concesso, quod solum vult argumentum, negatur hoc posterius.

Putarem ergo potius nullam huius adferri posse demonstrativam rationem: quia si hoc demonstraretur cur in creatis, idque titulo creati, non possit dari Trinitas, demonstraretur titulo increati non repugnare eandem: adeoque & dari; quia in Divinis quoad intrinseca à posse ad esse, valet argumentatio, & tamen supponitur non posse demonstrari Mysterium Trinitatis. Quod ipsum ulterius sic declaratur. Sit enim perfectio A. ex cuius defectu in creatis, oritur ne sit Mysterium Trinitatis, demonstrat Metaphysica omnem possibilem perfectionem haberi in Deo, inferes ergo tu, hanc perfectionem esse in Deo, adeoque inferes idque demonstrativè, dari Mysterium Trinitatis, & tamen vel tu ipse negas, quod hoc Mysterium in Divinis demonstrari possit. Et sicut si quis demonstraret, qualitatem aliquam non competere huic substantiæ quia corporea est, hoc ipso demonstraret, competere illam spirituali substantiæ, nam demonstrabile est, omnem qualitatem competere aut substantiæ corporeæ aut spirituali, ita si quis demonstrat non competere Mysterium Trinitatis. Creatis quia creata sunt, demonstrat illud competere Divinis, quia omnis perfectio, aut creato aut increato enti competit, & tamen supponimus quod Mysterium Trinitatis demonstrari non possit.

DIFFICULTAS II.

De Præcisionibus objectivis in Divinis.

PRÆCISIO secundum Auctores Alia est ex parte actus seu formalis, alia ex parte objecti seu objectiva: *Objectiva præcisio dicitur*, ex vi cuius intellectus attingit formalitatem aliquam, quin eadem cognitione, attingat aliam formalitatem, illi identificatam realiter. Verbi gratia, quando intellectus attingit formalitatem animalis, & non attingit ullo modo formalitatem rationalis identificatam realiter in homine, tunc censetur esse præcisio objectiva, ubi ut vides, non in hoc stat præcisio, quod unum cognoscatur sine alio, potest enim cognosci Petrus & non cognosci Iulium neque; tamen dicitur fieri præcisio Petri, à Iulio. *Formalis præcisio ex parte actus est*, vi cuius attinguntur immediatè & per se omnes formalitates, quæ identificantur sibi, di-

citur tamen cognosci verbi gratia animal in homine & non rationale, quia illic rationale, non nisi confusè attingitur. Confusè autem tunc cognoscitur objectum, quando ex vi illius cognitionis, non potest unum secerni ab alio, quod per eandem cognitionem attingitur. Verbi gratia. Cognosco hominem & equum per connotata communia, hoc est sensationes, tunc cognosco animal confundoque equum & hominem: quæ confusio in hoc stat, quia ex vi illius cognitionis non valeo hominem ab equo, equum ab homine discernere, ita explicat Oviedo Controversia Logica Tertia punct. 5. Illustratque tali instantia. Præcisio ex parte actus circa formalitates identificatas realiter, ita se habet, ac se haberet sensus circa alia objecta omnino similia, omnino æqualia, & quidem penetrata, in quibus non discerneret sensus unum ab alio, & eodem modo se haberet ad objecta distinguenda ac si unum tantum videret objectum, licet in re duo distincta realiter attingantur.

Posset & alia acceptio haberi præcisionis formalis & objectivæ, ita ut nomine præcisionis formalis, veniat ipse actus præscindendi, nomine autem præcisionis objectivæ, veniat ipsa, ut ita dicam passio, vi cuius objectum se præscindit patitur, estque in re ipsum objectum, ita jam præcisum.

Ceterum in priori illo sensu agitur quæstio; an dentur præcisiones objectivæ confusanturque dicta in Logicis de actu confuso fabricativo universalis.

Punctum Difficultatis 1.

Deciditur de Difficultate.

DICENDUM est *Dari*. Ita illi etiam, qui negant eas dari in creatis, ut Arriaga Disp. Quarta Logica Sectione Quarta. Ita Schola Thomistica, & Scotistica, & Nostri, contra aliquos ex Nominalibus, & contra aliquos recentiores, inter quos Oviedo Controversia Quarta Metaphys. punct. 8. Sed S. Thomas Opusc. 49. Et II. contra Gentes cap. 52. & Opusculo 43. cap. 6. nostram etiam sententiam innuit.

PROBARI solet I. Argumento ducto ab uno Attributo ad aliud. V. G. Deus per misericordiam parcit, per iustitiam punit. Ergo ista attributa præscindunt inter se.

RESPONDERI posset. Eundem hinc Deum in recto utrobique concipi, quia quando concipitur misericordia, concipitur Deitas prout est principium actuum misericordiarum; quando concipitur Iustitia, concipitur Deitas prout est principium actuum puniendi. Si autem utrobique responderet Deitas, hoc ipso non est jam præcisio objectiva,

PROBARI

PROBARI solet II. Propositionibus ductis ab uno principio processionis in Divinis, ad aliud idem principium. v.g. Intellectus generat, voluntas non generat.

RESPONDERI posset etiam ad idem argumentum ea via quâ ad illud responderetur prima parte in eadem materia.

PROBATUR III. Propositionibus quæ instituntur de Natura Divina comparata ad personas. Ut formetur argumentum. Supponitur veram esse hanc Propositionem. Essentia Divina communicatur, Paternitas non communicatur. Supponitur item Naturam & personam Patris esse unam eandemque indivisibilem Entitatem. Hinc formatur argumentum. Quando dico communicari naturam, & non communicari Paternitatem, vel dico de uno eodemque objecto, quod communicetur & non communicetur vel non de uno; si non de uno. Ergo intra unam eandemque entitatem indivisibilem, est præcisio objectiva; quia intra unam eandemque Entitatem, verificatur, de uno communicatur, de alio non communicatur. Si de uno verificantur duo contradictoria. Ergo non verificatur, communicatur & non communicatur; quia nec duo contradictoria verificantur. Et ulterius tam verè dici potest ex parte objecti de eo quod communicatur non communicari, quàm de eo quod non communicatur, communicari, non præscindunt enim hæc ex parte objecti, & sunt una eademque; ut dicis indivisa ratio. Sed non potest dici de eo quod non communicatur, illud communicari; quod probatur, quia non potest dici de natura Divina quod non communicetur, hoc enim est contra fidem, possetque dici Filium non esse verè Deum, cum sit Deus, ratione naturæ Divinæ communicatæ, de quo tamen per te potest dici, quod non communicetur. Item non potest dici de Paternitate, quæ non communicatur illam communicari, aliàs verum esset dicere Filium esse Patrem, idque ideo quia sicut dicitur Deus ob communicatam sibi naturam Divinam, ita verè dicitur Pater ob communicatam sibi Paternitatem, de qua tu dicis, posse affirmari, quod communicetur.

Idem medius Terminus sic proponitur: Et suppono veras has esse Propositiones: Pater non est filius. Spiritus S. non est Filius. Suppono item Patrem & reliquas personas esse identificatas Naturæ Divinæ. His positis ita formatur argumentum. Quando dico Pater non est Filius vel responderi mihi ex parte objecti natura Divina, vel non respondet, si non respondet, Ergo intra unam eandemque Entitatem indivisibilem dantur præcisiones; objectivæ, si correspondet, quæro in Conceptu illo Patris, in quo simul correspondet natura Divina, vel non correspondent personæ quæ sunt identificatæ naturæ Divinæ, vel correspondent, si non correspondent, Ergo intra unam eandemque indivisibilem entitatem dantur præcisiones objectivæ, sic correspondent in conceptu Patris natura & Filius. Ergo cum dico Pa-

ter non est Filius, etiam dico natura Divina non est Filius, sub termino enim Pater respondet natura Divina. Et ulterius dico Filius non est filius, quia filius per te respondet sub Ly Pater, cum scilicet dico. Pater non est Filius.

Idem medius Terminus sic proponitur ex Ariaga. Si correspondent in conceptu Patris tam natura Divina quàm reliquæ personæ. Ergo sicut falsa est ista propositio, tota Trinitas non est Trinitas. Ita falsa erit hæc, Pater non est Filius & Spiritus S. non plus enim in conceptu Trinitatis per te respondet ex parte objecti, quàm in conceptu Patris.

CONFIRMATUR. Datur in Divinis Distinctio virtualis. Ergo & dantur Præcisiones objectivæ. Antecedens colligi potest ex dictis de hac Distinctione, & certè de Fide est Naturam divinam communicari, Paternitatem non communicari, tunc quæro vel de eodem hæc verificantur vel non de eodem; si de eodem, Ergo non verificantur, quia impossibile est contradictoria verificari. Si non de eodem, Ergo de distincto, non de distincto realiter, quia id negat fides, nõ de distincto Scotisticè ut infra dicitur, non de distincto per Rationem, quia id non sufficere colligetur infra, Ergo de distincto virtualiter. Consequentia principalis probatur. Tum quia non est major Ratio unius, quàm alterius. Tum quia concessio majori in eodè genere, debet dari & minus, major autem est virtualis Antonomasticon distinctio, Tum quia difformiter objecto nosceretur res, si datâ distinctione virtuali, non darentur Præcisiones objectivæ; nam vi distinctionis illius communicaretur natura, non communicaretur Paternitas, & tamen si nõ dantur Præcisiones objectivæ, una attingeretur, & communicari & non communicari.

Responsiones variae in Oppositum.

RESPONDETUR I. Ut aliquid de aliquo verificetur, subjectum illud debet esse formaliter cognitum tam ex parte actus quàm ex parte objecti. Porro cum dico natura Divina communicatur, quamvis ex parte objecti correspondeat etiam Paternitas, nec tamen verificatur de illa quod communicetur, quia ex parte actus non est cognita.

CONTRA. Tum quia quæro de ipsamet verificatione objectiva, ad quam non requiritur esse cognitum ex parte actus, cum præcedat ipsum actum. Si autem secundum verificationem objectivam intra eandem entitatem Natura communicatur, Paternitas non communicatur, poterit etiam ex parte actus attingi; jamque tunc nihil deerit, ad præcisionem objectivam. Tum quia si ex parte actus, non responderi in natura divina Paternitas, ex parte actus falsum erit communicari Paternitatem. Ergo quia ex parte objecti, responderi Paternitas, verum erit ex parte objecti, communicari Paternitatem. Tum quia quod est fundamentum, quod si desit cognitio

† M

Pater-

Paternitatis ex parte actus, tunc cum concipio naturam, dicoque de illa quod communicetur, quod inquam si desit Cognitio Paternitatis ex parte actus, hoc ipso jam Paternitas non communicabitur, præcipue cum cognitio & hoc Ly ex parte actus, ipsi objecto non tribuat rationem communicabilis vel non communicabilis; Si autem independentem à cognitione nostra habet vim naturæ divinæ ut communicetur, & vim Paternitatis, ne communicetur, quare hæc prædicata verificari non poterunt, quamvis illud Objectum non sit formaliter ex parte actus cognitum.

RESPONDETUR II. Inadæquate naturam Divinam communicari, non quod non tota communicetur, tota enim communicatur, sed non communicatur adæquate, hoc est non secundum omnia quæ ipsi identificantur, adeoque non secundum Paternitatem.

CONTRA. Ergo ex parte objecti inadæquate spectati est, ut Paternitas non communicetur. Ergo una eademque indivisibilis Entitas inadæquate sumpta, ex parte objecti non communicabitur. Ergo cum dico naturam communicatur, ex parte objecti non respondebit Paternitas. Consequenter dabuntur Præcisiones objectivæ. Totus succus medii termini in hoc est; cur inadæquata idque ex parte objecti communicatio, non possit fundare præcisionem objectivam.

RESPONDERI posset III. In conceptu Patris correspondere ex parte objecti & naturam divinam & totam Trinitatem, ex parte tamen actus non correspondere. Paternitas enim concipitur per modum Paternitatis creatæ, Trinitas autem non concipitur per modum Paternitatis creatæ. Hinc fit ut verè affirmari possit Patrem, non esse Trinitatem.

CONTRA. Quando dicis ex parte objecti in conceptu Patris respondere naturam divinam, vel ex parte objecti non communicatur natura divina vel communicatur, si non communicatur ex parte objecti. Ergo dicis contra fidem; si communicatur ex parte objecti, quomodo ex parte objecti respondet, in eo quod non communicatur, si non dantur præcisiones objectivæ, jam enim per te contradictorium responderet in eodem objecto. Rursus si ex parte objecti in conceptu Patris respondet natura divina, ergo ex parte objecti, dicis esse verum, quod Filius sit Pater, quod Pater sit Trinitas, dicis enim ex parte objecti in conceptu Patris respondere & naturam divinam & totam Trinitatem, tantumque dicis, quod ex parte actus hoc non sit verum. Denique saltem Pater æternus, suam Paternitatem non concipit per speciem Patris creati, & tamen nec ille dicit: Paternitas mea communicatur.

RESPONDET IV. Oviedo. Controversia 4. Metaph. punct. 8. sub hoc conceptu natura divina communicatur, respondere Paternitatem ex parte objecti, nihilominus de Paternitate non potest dici quod communicetur: quia per

diversa media cognoscitur Paternitas & natura, & sicut posita præcisione objectiva, inter naturam divinam & Paternitatem, ita de illis loquimur, ac si essent à parte rei distincta, ita posito diverso modo noscendi Paternitatem & Naturam, poterimus de illis loqui, ac de distinctis realiter.

CONTRA. Diversus iste modus concipiendi vel facit, ut si conceptu naturæ, non correspondeat objectivè Paternitas vel non facit. Si non facit, Ergo ex parte objecti communicabitur Paternitas, cuius oppositum docet fides; si facit. Ergo admittis præcisiones objectivas: parum enim refert, an hoc velis appellare præcisionem objectivam, modò dicas sub affirmatione prædicati: Communicatur, non respondere objectum identificatum, quod est Paternitas. Deinde diversus modus concipiendi præcisè spectatus, non potest facere, ut id quod est identificatum alteri realiter, non afficiatur eo prædicato, quo afficitur, aliud illi identificatum realiter. Sic v.g. licet in homine diverso modo, concipiamus animal, diverso rationale, tamen quicquid affirmatur realiter de animali, affirmatur realiter de rationali. Cumque diversus modus cognoscendi, teneat se ex parte cognitionis, quid conferret objecto, ut secundum unam formalitatem communicetur, secundum aliam non communicetur. Longè autem est alia ratio, quare positis præcisionibus, objectivis, non possit dici de Paternitate quod communicetur, quantumvis id dicatur de naturæ; idque ideo, quia positis præcisionibus objectivis ex parte objecti, non respondet in conceptu Naturæ, Paternitas, adeoque prædicatum: Communicari, non dicitur de Paternitate, cum illa non sit subiectum ex parte objecti hujus propositionis, quando dico: Natura communicatur.

RESPONDERI posset V. ex eodem. Aliud esse subiectum Prædicationis, aliud verificationis, cum enim dico Petro corrente, aliquis homo currit, cursus verificatur de Petro, indifferenter tamen prædicatur de Petro, Joanne &c. adeoque jam aliud est subiectum prædicationis; ita etiam inquit in Divinis cum dico Natura communicatur, subiectum prædicationis est Paternitas, & Natura, sed subiectum verificationis non est nisi sola natura.

CONTRA. Si subiectum verificationis quando dico Natura communicatur, non est Paternitas quamvis unam eandemque indivisibilem Entitatem constituent naturam & Paternitas, non apparet cur jam non possint dari, præcisiones objectivæ attingendo ex parte Objecti Subiectum verificationis, & non attingendo Subiectum non verificationis, licet Subiectum verificationis & non verificationis, eandem Entitatem indivisibilem constituent. Deinde paritas adlata non tenet, quia quando dico: aliquis homo currit, Subiectum illud aliquis homo non sumitur determinatè, si non sumitur, de illo determinatum

tum quid, hoc est curfus, verificari non poterit; jam autem cum dico: Natura communicatur est Subiectum determinatum, consequenter illud solum debet esse Subiectum prædicationis & verificationis.

Principale fundamentum Oppositorum.

DICES. Istæ in Deo præcisiones objectivæ sunt inutiles & non salvant Difficultates Theologicas. Ergo nõ dantur. Probatur Antecedens. In ista propositione Natura Divina communicatur, licet sub conceptu naturæ Divinæ non respondeat formaliter Paternitas, falsum tamẽ est non respondere Paternitatem identicẽ, & realiter ad eum modum, quo concipiendo animalitatem hominis, quamvis non concipiã rationalitatem formaliter, falsum tamen est in re illam animalitatem non esse hominem, quia illa animalitas realiter ab homine non distinguitur, ita & in præfenti. Hoc posito ita ulterius urgetur. Quando dico Natura communicatur, respondet sub conceptu naturæ realiter Paternitas quamvis non respondeat formaliter. Ergo etiam realiter communicabitur Paternitas Filio, quamvis non formaliter, adeoq; Filius erit realiter Pater, quamvis non sit formaliter Pater, erit autem Filius realiter & formaliter Deus, quia illi & realiter & formaliter communicatur Natura.

RESPONDETUR ad objectionem. Quando dico Natura Divina communicatur, respondet quidẽ hoc sensu Paternitas identicẽ & realiter, quia non distinguitur physice à natura, quia tamen habet distinctionem realem virtuale, idẽ tunc nec realiter nec identicẽ respondet hoc sensu. Quasi realiter & identicẽ communicetur Paternitas, idq; beneficio distinctionis virtualis, quæ distinctio hoc facit, quia sicut si distinguerentur realiter Natura & Paternitas, quando responderet Natura, non esset necesse respondere Paternitatem, ita cum distinguatur realiter virtualiter, non erit necesse respondere Paternitatem, faciente hoc distinctione reali virtuali, sine ulla alietate reali, quod faceret alietas realis: In hoc enim statista distinctio realis virtualis. Non nego tamen in re æquẽ difficile manere hoc mysterium positã etiam distinctione virtuali & præcisione objectiva, quamvis non maneat æquẽ difficile in ordine ad nostros conceptus, jam enim ostendetur, quomodo non de uno prædicentur prædicata Contradictoria.

INSTABIS. Ergo etiam & Deus & beati in Patria præscindere debebunt Objectivẽ, nam etiam Deus & beati cum dicunt: Natura communicatur, non dicunt Paternitatem communicari.

RESPONDETUR. Non præscindere Deum & beatos objectivẽ formaliter, præscindere tamen illos objectivẽ æquivalenter, quia uno actu hoc attingunt, quod nos pluribus. Plura de hoc vide primã Parte.

Punctum Difficultatis 2.

Veranẽ hæc Propositio? Nulla est perfectio realis, & prædicatum in Paternitate, quod negetur in sensu reali de Deitate.

POST hætenus dicta de Distinctione virtuali, accipio excerpta quædam ex manuscriptis alicujus Recentioris, qui negavit distinctionem virtuales in Divinis, formavitque prædictam propositionem, quam expedit hic examinare.

PRÆMITTO I. Idem esse negari aliquid, vel affirmari in sensu reali, quod affirmari vel negari realiter supposita alioqui eorundem Identitate reali. Probat id Inductio. Quia quando dicimus Animalitatem Petri in sensu reali ratiocinari, hoc ipso dicimus, Animalitatem identificatam Rationalitati esse realiter principium Actuum ratiocinandi. Item quando dicimus Rationalitatem in sensu reali sentire, dicimus quod realiter Rationalitas, sit Principium Actuum sentiendi. Idem Præmissum negativo principio stabilitur, quia scilicet non differunt secundum objectivam formalitatem dictum de aliquo Ly: in sensu reali, & dictum Ly: realiter, nec potest harum duarum phrasium ostendi objectiva diversitas, sicut nec ostendetur in hac dictione, cantat voce suavi, & cantat suaviter.

Applica Præmissum, si in sensu reali convenit naturæ Divinæ generare, realiter conveniet generare.

PRÆMITTO II. Intercessisse inter Petrum Lombardum, & Iochimum Abbatem questionem, an verum esset, Naturam non generare cum generet Paternitas. Affirmabat Lombardus negabat Abbas, dicebatque si à primã Persona, procedunt aliæ duæ Personæ, si Filio convenit generari, Spiritui Sancto spirari, & tamen nec à Natura producuntur illæ duæ Personæ, nec Natura generatur, nec spiratur inquebat Abbas, non fore jam Trinitatem, sed Quaternitatem, cum præter illa prædicata relativa, reperiatur Natura, de qua prædicta prædicata negantur. Res devoluta ad Concilium Lateranense, quod decrevit has propositiones Essentia non generat. Paternitas generat.

PRÆMITTO III. Errorem Iochimi, duplicem fuisse, imprimis, quod voluerit Essentiam generare, ut ita salvaret, in Divinis Trinitatem esse, non Quaternitatem, deinde quia voluit Trinitatem Personarum salvare per Unionem quandam in voluntate & consensione. Rem ita habere ostendit cap. Firmiter de summa Trinitate. Legatur & glossa capitis.

DICENDUM est. Essentiam v. g. non generare in sensu reali, adeoque convenire aliquod prædicatum Paternitati, quod negetur in sensu reali de Natura.

PROBATUR I. AUCTORITATE. Tum quia

† M 2

Pro-

Propositiones quæ sunt de fide, debent accipi ut sonant. Ergo cum absolute definierit Lateranense: Essentiam non generare, non debet dici quod in sensu reali, adeoque realiter generet, hæc enim distinctio, quod in sensu reali, seu realiter generet Natura, non accipit Verba dogmatica ut sonant. Tum quia quando affirmabat Joachim Essentiam generare, quia generat Paternitas videtur voluisse indicare, quod Essentia realiter generet, & hoc ex duobus colligi potest. Imprimis quia assererat debere ex Identitate reali Paternitatis & Naturæ sequi, ut sicut Paternitas generat, etiam Natura generet, adeoque quod in sensu reali, seu realiter generet, idque ob Identitatem realem. Deinde, quia non erat ita depositi ingenii Joachim, ut non admitteret formaliter, seu per rationem, distinguatur Naturam & Paternitatem. Si ergo distinguuntur formaliter, sequitur ut quod convenit uni in sensu formali, non conveniat alteri itidem in sensu formali. Ergo debuit solum velle, quod in sensu reali, Natura generet, & Concilium universaliter enuntiavit: Essentia non generat. Hinc opposita sententia deberet clarius refellere mentem Joachimi. Tum quia dicendo quod in sensu reali communicetur v. g. Paternitas sicut communicatur Natura, non tantum non facilitatur Mysterium Trinitatis, quod intendebat prædictus Recentior, sed magis obscuratur; si enim communicatur Filio Paternitas in sensu reali, quomodo Filius in sensu reali & realiter non est Pater, cum tamen fide constet, non esse eum idem realiter cum Patre, in ratione Patris.

PROBATUR II. RATIONE. Tum quia si in sensu reali communicatur v. g. Paternitas. Ergo ante omnem operationem Intellectus, nullum datur verificativum hujus Propositionis, Pater non est Filius; si enim esset ante omnem operationem Intellectus, aliquod verificativum hujus Propositionis, quod Pater non sit Filius, deberet convenire, prædicatum aliquod ante omnem operationem intellectus, Paternitati, quod non conveniat Filio, solum enim tale prædicatum posset esse verificativum prædictæ Propositionis. Ergo cum nullum sit prædicatum conveniens Paternitati, quod in sensu reali non conveniat Filiationi, ratione naturæ, cum qua Paternitas in sensu reali communicatur, nullum etiam erit nemine cogitante verificativum hujus Propositionis: Pater non est Filius & tamen verificativum hoc debet ostendi, cum sit de fide Patrem & Filium, distinguere realiter. Tum quia distinctum realiter, non communicatur in sensu reali. Sed Paternitas est distincta à Filiatione, ut fides docet. Ergo Paternitas non communicatur in sensu reali Filiationi. Major probatur. Non idem realiter, non potest esse idem realiter, ratione ejusdem, ut lumen rationis docet. Sed si distinctum realiter communicaretur in sensu reali, non idem realiter, esset idem realiter ratione ejusdem, in quantum enim Paternitas in sensu reali communica-

retur Filio, esset idem, hoc enim communicari idem est, ac identificari, & tamen in quantum distingueretur à Filio, non esset idem, idque ratione ejusdem Paternitatis. Ergo idem realiter non esset idem realiter, ratione ejusdem. Tum quia falsa est hæc Propositio: Alia est realiter Natura Patris, alia Filii, idque ideo, quia ante omnem operationem Intellectus realiter seu in sensu reali, communicatur Natura. Ergo etiam falsa erit hæc Propositio: Alia est realiter Persona Patris, alia Filii, quia realiter ante omnem operationem Intellectus, communicatur Paternitas Filio. Tum quia si in sensu reali sumpta Paternitas communicatur, quia communicatur Natura, cum qua est idem realiter Paternitas, dicam etiam Naturam in sensu reali sumptam, seu realiter non communicari, quia ipsa Paternitas sumpta pro termino naturæ, seu pro distinctivo reali, ipsa inquam Paternitas non communicatur, cum qua tamen est idem realiter Natura Divina, dicam item esse tres Deos distinctos realiter, seu in sensu reali, quia sunt distinctæ realiter tres Personæ, cum quibus est idem realiter Deitas: quod erit omnes phrasæ sacras in hoc Mysterio subvertare. Tum quia ostendi possunt prædicata, quæ negantur in sensu reali de Natura, affirmantur de Paternitate, v. g. Paternitas est distincta realiter, falsum autem est, Deitatem esse distinctam realiter, falsa item: Paternitas est realiter communis omnibus Personis, vera autem hæc: Natura est communis realiter omnibus personis.

PROBATUR III. Quia posito quod non detur distinctio virtualis, nec formalis ex natura rei. Item quod ad salvandum Mysterium Trinitatis non sufficiat distinctio Rationis, positumque quod in sensu reali generet v. g. Natura Divina, non aderit modus salvandi hæc contradictoria: Natura non generat, Paternitas generat, & tamen est Theologici Instituti hæc salvare. Hæc ratio pondus accipit, ab impugnatione responsionum.

Responsiones ad Argumenta.

Ad secundum Argumentum.

RESPONDETUR I. Duplicem esse communicationem Paternitatis, alia est communicatio Paternitatis propter Identitatem realem Paternitatis, cum Deitate, vi cuius, sit unus idemque Deus Pater & Filius, & hæc communicatio datur. Nam Pater in sensu reali loquendo, communicat Filio suam Paternitatem, communicatione faciente utrumque, unum Deum. Alia est communicatio Paternitatis in sensu proprio & formali, vi cuius, fieri debeat Patris & Filii una Persona indivisibilis in plures personas, & hoc sensu non communicat Pater suam Paternitatem Filio, adeoque solum communicat Paternitatem suam accipiendo Paternitatem pro realitate Patris.

CONTRA. Tum quia quando Pater in sensu reali, communicat Filio Paternitatem, vi cuius uterque

utrumque est unus Deus, quæro: an ita in sensu reali communicat Paternitatem, ne in sensu reali communicat naturam, vel non ita? Si ita, ergo sicut titulo communicat in sensu reali naturæ, Filius & Pater sunt unum in natura, ita titulo communicat in sensu reali Paternitatis, erit in sensu reali una persona; quod si non ita communicatur in sensu reali Paternitas, sicut communicatur natura, falsa erit propositio: Nullum prædicatur ut perfectio realis dicitur de Paternitate, quæ negetur in sensu reali, de Deitate.

Tum quia, tota hac doctrinâ pressius accepta, quando ponitur communicari realitatem Patris, & non communicari illam in sensu proprio, nihil plus exprimitur quam communicari naturam, quæ est idem realiter cum Paternitate, cum quo tamen stet Paternitas non communicari, in quocunque tandem sensu, qui tamen sit nemine cogitante, quem sensum ille appellat proprium. Quorsum ergo ad has phrasas recurritur: Paternitas in sensu reali communicatur, natura generat in sensu reali, quæ phrasæ, non accipiunt Lateranensis verba, ut sonant. Sed hac doctrinâ positâ, quomodo salvabitur nullum esse prædicatum, quod nemine cogitante conveniat naturæ, & nemine cogitante non conveniat Paternitati; nam nemine cogitante convenit naturæ in sensu proprio communicari, & non convenit Paternitati, nemine cogitante in sensu proprio communicari. Hoc ipsum sic aliter proponitur, quæro: an in sensu reali communicetur Paternitas communicatione, vi cuius si esset in sensu formali, fieret verè & propriè persona Patris & Filii una Persona, vel non communicatur in sensu reali, si communicatur, ergo realiter licet non formaliter, hoc est, non in ordine ad nostros conceptus, eadem est persona Filii & Patris, sicut enim esset formaliter persona Filii persona Patris, si in sensu formali communicaret Filio Pater Paternitatem, ita realiter persona Filii, erit persona Patris, si in sensu reali communicat Pater suam Paternitatem, si autem circumscripta superius Paternitas non communicatur, ergo aliquod prædicatum convenit Deitati, quod non convenit Paternitati, nempe communicatio formalis. Itemque communicatio vi cuius fiat unus Deus, Pater & Filius, & non communicatio, vi cuius fiat una persona. Cum tamen Deitas & persona sint idem. Tum quia cum sint idè realiter Paternitas & natura, conveniatque communicatio naturæ, vi cuius fiat Filius unus Deus cum Patre, & non conveniat Paternitati communicatio vi cuius fiat persona Filii, una & eadè cum persona Patris, hoc ipso natura & Paternitas, cum illis prædicata contradictoria conveniant, debent distingui, non realiter, ut docet fides, non formaliter ex natura rei, quia hanc distinctionem negat hic Recentior, non per rationem, quia id non sufficit. Ergo virtualiter. Si enim nec virtualiter distinguuntur non salvabū-

tur contradictoria, sed de eodem, & ratione ejusdem verificabuntur, quia ratione extremorum indistinctorum, quod certè non esset defendere mysterium Trinitatis.

Hic ipse medius terminus expeditus adhuc urgetur sic. Non communicari in sensu proprio sunt duo contradictoria, ergo in verificabilia de eodem, ratione ejusdem, ut docet lumen rationis, per te essent verificabilia de eodem & ratione ejusdem, quia nullam ponis distinctionem, quæ sit nemine cogitante inter naturam & Paternitatem, hinc quod de Paternitate verificabitur, verificabitur & de natura, utpote indistinctis nemine cogitante. Tum quia cum per te in sensu proprio non communicetur Paternitas, nec communicabitur in sensu proprio natura, utpote indistincta à Paternitate, & tamen aliud contradictionis membrum, verificari de natura docet Fides. Recurrere autem ad distinctionem eminentialem, seu distinctionem non puram realem, est recurrere alijs verbis, ad distinctionem virtualement, quæ tamen negatur, aut si ad illam non recurritur, non ostendetur verificativum allatorum contradictoriorum, quod sit nemine cogitante, debet autem verificativum horum prædicatorum communicatur, nō communicatur in sensu proprio esse nemine cogitante, cum & illa prædicata sint nemine cogitante, prædicata inquam objectivè sumpta. Tum quia communicatio in sensu reali Paternitatis Filii, est communicatio, quæ sit Filius, eadem persona cum Patre. Nam etiam communicatio Paternitatis, quæ sit per identitatem ipsi Personæ primæ, facit primam personam Patrem. Ergo faciet & secundam, quod autem dicitur, non communicari in sensu proprio & formali Paternitatem Filio, quærere restabit, iste sensus formalis & proprius, vel est nemine cogitante, vel non: si nō est nemine cogitante, non salvat mysteriū Trinitatis, quod est in suo esse independēs à nostris cogitationibus; si autem iste sensus proprius & formalis est nemine cogitante, qui non invehit distinctionem inter hos terminos, quorum unus in sensu proprio & formali communicatur, alter nō, quæ distinctio si non est actualis, erit certè virtualis. Tum quia quæro. An præter communicationem naturæ divinæ, sit etiam communicatio in sensu reali ipsius Paternitatis, hoc est primi termini substantialis naturæ divinæ & non tantum realitatis illius termini, quæ realitas sit ipsa natura, si non est, quomodo verum erit in sensu reali illā communicari, quomodo item non cōpetet unū prædicatum naturæ, quod nec in sensu reali competit Personæ; si autem ipse terminus naturæ communicatur, quomodo illa communicatione, non sit una Persona utriusque sicut communicatione naturæ sit una natura, & sicut communicatio albedinis facit album, cui communicatio termini naturæ, non faciet, ut sit eadem Persona, cum illa, quæ communicatur.

† M 3

RE-

RESPONDET II. Licet se totum Pater communicaverit Filio, non ideo communicavit se totaliter, hoc est, non communicavit se per Identitatem, puram, sed per identitatem, qua sit uterque unus Deus, & non per identitatem, qua sint uterque una Persona.

CONTRA. Tum quia communicatur totaliter naturæ, in ratione naturæ & non communicatur totaliter Paternitas in ratione Personæ, quæ duo sunt contradictoria, quomodo illa salvari possunt, nisi admittatur, si non realis actualis, saltem realis virtualis distinctio, quomodo ite non conveniat unum prædicatum naturæ, quod non conveniat etiam in sensu reali Paternitati, cum illi non conveniat ut conceditur totaliter, & quidē nemine cogitante communicari. Quod adfertur de illa identitate non pura, redit quaestio cum inter Personam, & inter Deitatem nulla sit distinctio, cur fieri potest, ut evadat utraq; Persona unus DEUS, & non una Persona, cum & natura & Persona communicentur. Tum quia videtur quod Pater, non se communicarit totum Filio, quia habet prædicatum Pater, vi cuius est unus DEUS cum Filio, habet & prædicatum vi cuius est una Persona, & tamē est de fide, hoc secundum prædicatum non communicasse Patrem Filio. Ergo falsum est, quod se totum communicarit; hocq; innuunt locutiones Patrum, qui docent, Patrem omnia dedisse Filio, excepta Paternitate. Tum quia si Pater communicavit se totum Filio, sed non totaliter, debet dari obiectum ratione cuius verificetur illud ly non totaliter. Porro hoc obiectum ratione cuius verificabitur illud ly non totaliter, vel communicatur in sensu reali, vel non communicatur. Si communicatur. Ergo falsum est realiter loquendo, non totaliter illam communicari. Si non communicatur; Ergo aliquod prædicatum convenit naturæ, quod non convenit Paternitati, nam natura totaliter communicatur in ratione naturæ, non communicatur totaliter Persona in ratione Personæ.

RESPONDET III. Quando dicitur naturam in ratione naturæ. Ut natura est &c. communicari, tunc sumitur natura in sensu præcisivo, præcisio autem est post operationem intellectus, unde concedi hoc sensu potest, quod natura, ut natura est non generet, licet alio sensu debeat dici illam generare.

CONTRA. Concedo sumi posse naturam divinam præcisivè, & prout subest nostris intentionibus, tamen verum est nemine cogitante naturam non generare, Paternitatem generare, qui ergo hic non verificatur unum prædicatum nemine cogitante de natura, quod non verificetur de Persona, & cum dicis in sensu reali naturam generare, hoc solum significas, quod Paternitas generet, nos autem disceptamus non de natura, prout significat & supponit Personam, sed de natura, prout illam sumpsit Lateranense, dum

dixit naturam non generare; cui sic sumptæ jam competet prædicatum non generare, quod non competit Paternitati.

Ad tertium Argumentum.

RESPONDERI I. potest. Non esse necesse, salvare istud contradictorium v. g. non communicatur Paternitas cum in sensu reali communicetur.

CONTRA. Concedis in sensu reali communicari Paternitatem sumptam scilicet pro natura, da obsecro secundum modum, quo mod o sumpta non communicetur, debet autem aliquo modo sumpta non communicari ut salvetur decretum Lateranensis, & distinctio realis Personarum. Si autem aliquo modo sumpta Paternitas nemine cogitante non communicatur, qui id explicabis, si inter naturam, de qua verificatur ly communicatur, & inter Paternitatem, de qua verificatur ly non communicatur, non intercedit distinctio saltem virtualis, & si distinctione in hanc aut aliam non ostendis, concedis absurdum verificari duo contradictoria de eodem, & ratione ejusdem, quia ratione naturæ & Paternitatis, quæ per te indistinctæ sunt. Salva item hoc: Si in sensu reali etiam Paternitas communicatur Filio, cur in sensu reali Filius non erit Pater.

RESPONDEBIS II. Reperiri illic eminentialem identitatem distinctam & oppositam Personarum.

CONTRA. Concedo reperiri hanc eminentialem identitatem, sed quaerere restat cur detur identitas eminentialis Patris & Filii in natura, & detur distinctio realis in Personis, cum tamen per te, illa natura communis, & Persona, non distinguantur etiam virtualiter.

RESPONDEBIS III. Etiam si distinctio realis, sit negatio realis identitatis, non tamen contradictoriè opponitur huic negationi realis identificatio.

CONTRA. Concedo quod negatio identitatis, & realis identificatio non opponantur contradictoriè, si de alio extremo, formalitate, virtualitate, &c. verificetur negatio identitatis, de alio identitas, sed si non detur distinctio ulla inter hæc etiam virtualis, qui non verificabuntur duo contradictoria de eodem, & ratione ejusdem, quod tamen Lumini naturæ repugnat. Concedo, quod quando aliqua forma, in ratione sua formali, abstracta non consistit in divisibili, sed est divisibilis in plures gradus, sine ulla contradictione, eadem res indivisibilis, per se ipsam habet v. g. unum gradum, & excludit alios. Ea propter autem id concedo, quia ratione alijs verificabitur habere gradum, ratione alius, non habere gradum. Sed si non detur distinctio saltem virtualis inter naturam & Paternitatem, qui ostendes ratione unius Extremi verificari identitatem Patris cum Filio, ratione alijs, negationem identitatis.

Concedo, quod eadem cognitio possit esse obscu-

obscura & clara. Concedo unam differentiam posse esse & rationem differendi, & rationem conveniendi, sed id habetur ratione diversorum connotatorum, sufficitque id salvare per connotata diversa, sed si non datur distinctio saltem virtualis, qui non ratione unius verificabuntur hæc duo contradictoria, Negatio Identitatis, & Identitas Naturæ v. g. & Paternitatis, quarum distinctionem non sufficit per sola connotata explicare, ut colligi potest ex dictis, de hac distinctione.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

QUADAM Objectiones istius Recentioris probant non dari distinctionem virtua-lem in divinis, quædam probant Paternitatem suo modo communicari.

Quoad Primum.

Obijcit I. idem. Per sententiam admittentium distinctionem virtua-lem, idem Pater communicando Essentiam Filio, non communicat Paternitatem, realiter identificatam cum Essentia, quia Essentia Divina, habet capacitatem realem ut illa communicata, non communicetur Paternitas, quantumvis sit Naturæ identificata realiter, quod est idem dicere, quia scilicet potest communicari Essentia, non communicata Paternitate, quod est respondere per idem ad idem.

RESPONDETUR. Per nos distinctionem virtua-lem non esse definitivè capacitatem ad verificanda contradictoria, seu ad distincta realiter, consequenter per nos, non idem potest communicari Natura, non communicata Paternitate, quia habet capacitatem Natura ut communicetur non communicata Paternitate, sed quia habet æquivalentiam ad plura, seorsim reperibilia, consequenter ad idem non per idem formaliter respondebitur: sed quantumvis distinctio virtualis foret definitivè capacitas verificandorum prædicatorum contradictoriorum, nec dum sequeretur ad idem, per idem formaliter responderi, quamvis responderetur ad idem per idem realiter, sicut non est respondere ad idem per idem, si quærenti, quare homo ratiocinetur respondeatur quia habet Potentiam intellectuam, quam suppono aliunde notam, sicut suppono aliunde hoc est ex fide notum, quod communicetur Natura, non communicetur Paternitas, & universaliter respondere ad quæstionem de actu per Potentiam seu capacitatem, non est respondere ad idem per idem. Hinc nec ad quæstionem, quare communice-tur v. g. Natura respondere per Potentiam, capacitatem, virtualitatem communicationis, non erit respondere per idem formaliter, licet

respondeatur per idem realiter, eò quod illa capacitas ad communicari non sit distincta realiter ab eo, cui communicatur; & sicut si respondeatur idem Petrum esse hominem, quia est animal rationale, respondebitur ad idem per idem realiter, respondebitur tamen benè, ita & in præsentia.

Obijcit II. Lumine Naturæ, seclusa Revelatione notum est, quod non possit eadem indivisibilis entitas, simul produci realiter, secundum unam formalitatem, & non produci secundum aliam formalitatem, quin simpliciter eadem res realiter producat, & realiter non producat, quia lumine Naturæ certum est impossibile esse aliquid simul esse & non esse. Atqui per tenentes distinctionem virtua-lem non componitur hoc Mysterium cum hoc Principio, quia negare Principium lumine Naturæ notum, non est componere illud cum Mysterio; hoc autem faciunt tenentes distinctionem virtua-lem, admittunt enim capacitatem ad verificanda contradictoria, de una indivisibili Entitate. Ergo admittunt idem posse esse, & non esse, consequenter negant illud Principium Lumine Naturæ notum.

RESPONDETUR. Major videtur supponere, quod aliquid possit esse lumine Naturæ notum, & tamen oppositum revelatio ostendere, indubiè autem quod semel Lumine Naturæ notum est, illi oppositum non potest revelari. Consequenter nego, Lumine Naturæ esse notum, quod si sit aliquid distinctum virtualiter in ordine ad prædicata primò intentionalia & physica, non possit illud, secundum unam Virtualitatem produci, secundum aliam non produci, licet ad istam doctrinam de Virtualitate non pertingat independentè à Revelatione, consequenter per nos non negatur ullum principium Lumine Naturæ notum, ut salvetur Mysterium Trinitatis.

INSTAT. Vel beneficio distinctionis virtualis datur simul res & negatio ejusdem rei, vel non; si primum tollitur principium Lumine naturæ notum; si secundum, Ergo nulla datur capacitas, in re simplici ad verificanda duo contradictoria.

RESPONDETUR. Beneficio distinctionis virtualis datur eadem res, sub una virtualitate, & negatio ejusdem rei, sub alia Virtualitate, si non secundum eandem Virtualitatem, datur res & negatur, non jam tollitur principium Lumine naturæ notum. Nam contradictoria ut sint, debent verificari de eodem; ratione ejusdem, & licet non detur in re simplici nec distincta virtualiter, capacitas ad verificanda contradictoria, datur tamen in re physice simplici, multiplicitate virtualiter.

Obijcit III. Admissa distinctione virtuali, sequitur nugatorias esse omnes veritates revelatas. Concedis verificari: Naturam commu-

† M 4

ficari;

nicari, Paternitatem non communicari: quæ-
ro cur verificari non poterit hæc Propositio.
Deitas communicatur, Deitas non communi-
catur: Si enim habet Deus capacitatem verifi-
candi duo contradictoria, de se contradicto-
ria sine contradictione. Ergo etiam habebit
capacitatem ut verificetur de illo; Deitas com-
municatur, & Deitas non communicatur.

RESPONDETUR. Quod possit verificari, Dei-
tas communicatur, Paternitas non communi-
catur, id exinde salvatur, quia ista non sunt con-
tradictoria vera, seu ut in prima parte dictum,
proportionata, quia scilicet non affirmatur &
negatur idem, ratione ejusdem, cum illic repe-
riatur alietas virtualis; quia autem hæc duo:
Deitas communicatur, Deitas non communi-
catur, sunt contradictoria proportionata, seu
ratione ejusdem, ideo dicta prædicata, verifica-
ri non possunt. Ob quam rationem nec verifi-
cari possunt hæc prædicata, est immensus, non
est immensus. Nego item in Deo dari capa-
citatem verificandi duo de se contradictoria,
sed tantum datur capacitas verificandi ea; quæ
essent contradictoria, nisi interveniret æquiva-
lencia ad duo distincta, seu virtualitas extremo-
rum.

INSTAT. Etiam posita distinctione virtuali,
non potest ostendi quonam pacto, per veram
Identitatem, communicetur Essentia Paterni-
tas realiter, & non communicetur generare, ut
sicut vera est hæc: Essentia est Pater: ita sit
vera hæc: Essentia generat. Nam inter esse Pa-
trem & generare nulla est distinctio.

RESPONDETUR. Quod sit vera hæc Essentia
est Pater, fides docet quod autem non sit vera
hæc, Essentia generat, fides item docet per La-
teranensem explicata. Hinc objectio utriusque parti
est solvenda. Directè dici potest: Communi-
catur Essentia generare, hoc sensu, quia gene-
rare non distinguitur realiter ab Essentia, sed
non hoc sensu, quasi realiter generet Essentia,
idque ideo, quia ita communicatur Naturæ rea-
liter Paternitas, itemque ita communicatur
Naturæ realiter generare, ut simul sit & Pater-
nitas & generare, distincta virtualiter, ratione
cujus distinctionis virtualis competat Paterni-
tati generare, non Essentia, & licet si generare
realiter negetur de Essentia, hoc sensu, quod
generare non sit idem cum Essentia, certè tunc
aliquod prædicatum relativum, distingueretur
realiter ab Essentia, sed si generare realiter, ne-
getur de Essentia, quod scilicet Virtualitas ge-
nerare, non sit Virtualitas Essentia, eo casu, non
erit necesse, prædicatum relativum distingui
realiter ab Essentia.

Quoad secundum.

OBJECIT I. Nulla est perfectio realis, & prædi-
catum in Paternitate, quod negetur in sensu
reali de Deitate, aliàs distinguerentur realiter.
Et certè vel communicat Paternitas omnia sua

prædicata realiter Essentia, cum qua est idem
realiter, vel non; si non communicat, ergo non
est idem cum Essentia; si communicat. Ergo
sicut Paternitas in sensu reali generat, ita Essen-
tia generabit.

RESPONDETUR. Nullum dari prædicatum in
Paternitate, quod negetur in sensu reali de Dei-
tate, hoc est, quod inferat alietatem illorum
realem absolute, dari tamen prædicatum Pa-
ternitati conveniens, quod negetur in sensu
reali de Deitate, inferendo alietatem realem
virtualem, & quæ sit nemine cogitante, & eo
modo Paternitas communicat omnia sua præ-
dicata realia Essentia, ut tamen Virtualitas Pa-
ternitatis non sit Virtualitas Essentia, adeoque
communicat se, salva sua Virtualitate, ratione
cujus Virtualitatis conveniet Paternitati gene-
rare, & non conveniet Naturæ.

OBJECIT II. idem. Joannis 10. dicitur. Ego
& Pater unum sumus. Ergo Filius & Pater ab-
solutè & simpliciter sunt unum & idem.

RESPONDETUR. Concedendo totum, se-
cundum acceptionem consequentis, quam fi-
des docet, nempe Patrem & Filium esse unum
& idem simpliciter in Natura, sed non esse
unum in Persona, consequenter non erit neces-
se Filio communicari Personam Patris, etiam
in sensu reali.

OBJECIT III. Quælibet Persona est in altera.
Ergo quælibet communicatur alteri, non per
Unionem, ergo per Identitatem.

RESPONDETUR. Videri phrasim hanc mo-
dificandam, nam si una Persona, cum altera
Persona est idem per Identitatem, sequitur
eamdem esse Personam Patris & Filii. Directè ad
Argumentum dici potest, quod una Persona sit
in alia per circuminsessionem, aliàs explicatam,
non autem per Unionem, nec per Identitatem
personarum. Retineri etiam potest distinctio
procedens per Articulum fidei, nempe unam
Personam identificari cum aliâ, sed in Deitate.

INSTAT. Identificari in Deitate, nihil est
distinctum realiter ab extremis identificatis
Patre & Filio. Ergo identificari in Deitate,
est identificari Patrem cum Filio, & quidem
absolute, ac sine ulla restrictione, quia in sensu
reali, sine omni restrictione, Deitas est idem
realiter cum Patre & Filio. Ergo datur in Deo
realis Identitas distinctorum & oppositorum
realiter.

RESPONSUM. Absolute ac sine ulla restrictio-
ne identificari Patrem cum Filio in Natura,
hocque solum secundum Principia fidei, debet
intendere objectio, non autem quod sit absolu-
tè ac sine ulla restrictione Identitas, etiam in
Persona; non enim tantum est necesse attende-
re, ut attendit arguens ad Identitatem in Natu-
rà, sed etiam ad alietatem in Personâ, conse-
quenter non erit necesse unam Personam com-
municari alteri, in sensu reali. Unde directè ad
Argu-

Argumentum dici potest, distingo Consequentiam. Ergo identificari in Deitate, est identificari absolute, ac sine ulla restrictione in Deitate. Concedo, sine ulla restrictione, ita ut detur identificatio, seu communicatio in Persona. Nego Consequentiam, & tamen Vi argumenti quod posuit, quamlibet Personam esse in alia per Identitatem, videtur adstrui Identitas in Persona, dabiturque in Deo realis Identitas, distinctorum & oppositorum realiter, hoc est, Identitas in Natura, ita tamen, ut sit oppositio in Personis, cum tamen Argumentum velit invehere Identitatem in Persona, dicit enim utramque Personam, esse in alia per Identitatem. Identificari item in Deitate à parte rei, nihil est realiter distinctum ab ipsis extremis, est tamen aliquid virtualiter distinctum, consequenter non erit identificatio sine ulla restrictione aut vi cuius identificatio invehatur alia, præter identificationem in Virtualitate Naturæ.

Obijci IV. Pater quæ Deus, realiter identificatur Filio, sed Pater se toto realiter est Deus. Ergo Pater se toto realiter identificatur Filio, ut enim quod se toto Deus est, absolute & sine restrictione Deus est ita, cui absolute identificatur Deus, etiam id ei identificatur absolute, quod Deus est.

RESPONDETUR. Si Ly se toto, identificatur, sumatur etiam pro Persona Conclusionem negat fides, realiter enim distincta Persona Patris, non identificatur realiter Personæ, Filii, si autem Ly se toto non involvat Personam, propositio erit vera, sed non infert intentum argumentis, non infert enim Personam in sensu reali communicari, non infert nullum esse prædicatum conveniens Naturæ, quod in sensu reali non conveniat Personæ. Dici etiam potest argumentum hoc non esse Categoricum, nam imprimis in minori, non ponitur hoc quod subieciatur in Majori, debuisset enim sic formari Propositio. Sed Pater se toto, est Pater quæ Deus, sicque formato Argumento, falsa esset Minor, quia Pater præter formalitatem quam habet, quæ Deus, quæ importat Virtualitatem Naturæ, habet etiam Virtualitatem Personæ. Deinde, videtur in hoc Syllogismo non distribui medius Terminus. Neque enim Majoris sensus est. Omne quod dicit Pater realiter identificatur Filio, & si hunc sensum faciat, falsa erit Major. Denique stando in Principiis de Distinctione virtuali. Distinguitur Major. Pater quæ Deus realiter identificatur Filio, etiam secundum Virtualitatem Paternitatis nego Majorem, sine identificatione hujus Virtualitatis. Concedo Majorem. Et licet quod se toto Deus est, absolute & sine restrictione Deus est, quia in ratione Deitatis, seu in Virtualitate Essentiæ, non datur Distinctio virtualis, tamen cui absolute identificatur Deus, hoc est, Deitas, non erit necesse identificari absolute ei, quod Deus est,

quia illud quod identificatur, potest virtualiter distinguere à natura, adeoque v.g. habere titulum, ne communicetur, quantumvis illi identificata, communicetur.

INSTAT. Pater quæ Pater distinguitur à Filio, & ideo absolute distinguitur. Ergo etiam quia Pater quæ Deus identificatur Filio absolute identificatur. Consequentia probatur, quia cum denominatio, quæ competit Patri quæ Deus est, sit essentialis, & substantialis ut dicunt Patres, & illa quæ convenit Patri, quæ Pater est, saltem aliquomodo non sit essentialis, quia relativa, debet prævalere Denominatio essentialis, non essentiali, & consequenter, potius absolute dicendus est Pater, esse idem, quam distinctus à Filio & hoc Argumentum procedit in sensu reali non formali, post operationem intellectus.

RESPONDETUR. Sy Ly absolute distinguitur, supponat pro Ly distinguitur secundum omnia quæ dicit Pater, distinguitur inquam à Filio, negabit antecedens Fides. Consequenter negabitur Patrem quæ Deum, secundum omnia quæ dicit, absolute identificari, cum non identificetur secundum Paternitatem. Si autem Ly absolute identificatur, & absolute distinguitur supponat illud pro identificari in Natura, hoc autem pro distinguere in Persona veræ sunt propositiones, sed contra nos non faciunt. Posito quod Relationes in Divinis sint transcendentes, falsum erit Relationes aliquomodo non esse essentialis. Quod attinet ad Regulam illam, de denominationibus traditam illa non tenet, etiam posito, quod denominatio Patris non sit essentialis; idque ideo, quia esse idem, est denominatio, quæ debet esse ex integra causa, non esset autem ex integra causa, si absolute dicitur Patrem esse idem cum Filio, licet distinguantur realiter in ratione Personæ. Hoc autem, quod est esse distinctum, est prædicatum negativum quod verificatur, etiam si non nisi sub aliquo conceptu, aliqua non sint idem. Rursus magis est quid principale in homine Anima quam Corpus, & tamen ab hoc principali non denominatur homo spiritualis. Ergo etiam quamvis sit denominatio à Deitate, tantum à principali & essentiali, non sequetur ob identificationem Filii & Patris in Deitate, debere dici absolute illos identificari. Denique in Principiis tenentium distinctionem virtualem dici potest, quod Filius à Patre distinguatur secundum Virtualitatem Personalitatis identificatam Naturæ, secundum autem Virtualitatem Deitatis identificari; adeoque nec absolute distinguere, nec absolute identificari, sed absolute identificari, secundum Virtualitatem Deitatis, & absolute distinguere secundum Virtualitatem Paternitatis. Deinde quando sumitur Pater quæ Pater, sumitur secundum id quod distinguitur realiter à Filio, si sumitur secundum id quod distinguitur realiter, sumitur secundum id, quod absolute

solutè distinguitur, sed quādo sumitur Pater quā Deus, sumitur & secundum id quod distinguitur per ly Pater & secundum id quod non distinguitur hoc est per ly Deus, Ergo non debet dici absolutè identificari, nam absoluta identificatio, aufert distinctionem personarum.

Auctoritates in Oppositum.

Objicit V. idem. Varias Auctoritates.

I. AUCTORITAS est August. lib. 15. de Trinitate, cap. 14. ubi ait *Filium esse Essentiam, de Essentia, hoc omnino quoddam Pater, non tamen Pater, & libro de Fide & Symbolo cap. 3. ait: Deus cum Verbum genuit, id quod est ipse genuit; & in fine capituli, Hoc, inquit, genuit, quod est ipse qui genuit.*

RESPONDETUR. Has & similes Auctoritates debere ab ipsomet objiciente solvi ob decretoriam auctoritatem Lateranensis, dicitq; Ruiz de Trinitate Disp. 80. Sect. 7. n. 9. quod Patres, qui hoc dicunt congruentes & sanas expositiones exigant & admittant. In particulari, id dici potest Filium esse Essentiam de Essentia, hoc est genitum ex fecunditate naturæ, estque Pater, id quod ipse genuit secundum Deitatem, licet non sit idem secundum Personam, quod significat illud Ly non tamen Pater. Si autem non est idem secundum Personam, non erit necesse Paternitatem etiam in sensu reali communicari Filio. Posset etiam citari August. ex lib. 7. de Trinitate cap. 1. ubi dicitur quod Pater genuerit Essentiam suam, sed illo loco, id sibi proponit Augustinus non nisi per modum Objectionis de quo vide dicta 1. parte Disp. ult. n. 344. aliis autem quæ recitari possent locis solum innuit, quod Filius habeat Essentiam, sed viâ generationis sibi communicatam, hoc est, quia generatur Persona, quæ est idem cum Essentia. Auctoritates autem Augustini in Oppositum infra adferentur.

II. AUCTORITAS ex Richardi lib. 5. de Trinitate cap. 22. ubi damnat tanquam parum tutam, & aberrantem à sententiis antiquorum Patrum doctrinam eorum Theologorum, qui nullo modo concedunt, quod substantia gignat substantiam, vel sapientia sapientiam, &c. *Adferant si possunt auctoritatem, non dico, inquit, plures, sed saltem unam, quæ neget substantiam generare substantiam.*

RESPONDETUR. Imprimis ex Ruiz quod corrigenda sit hæc doctrina Richardi, qui etiam dicit supra Sect. 4. num. 6. ex obliquo sequi aliquid contra ejusdem sententiam, post damnatam doctrinam Joachimi. Quod attinet ad testimonia sacra pro nostra sententia.

Primum Testimonium est Lateranensis Concilii & Innocentii tertii cap. Damnamus.

Secundum Testimonium est Joannis Theologi in Concilio Florentino Sess. 19. col. 3. §. ut exemplum. Communi, inquit, Doctorum sententia, divina substantia nequaquam generat. Vbi loquitur Joannes ex communi sensu, quem tamen pro se dixerat esse Richardus.

Tertium Testimonium est Justiniani in Confutatione dogmatum Aristotelis de naturali auctoritate. De Deo, inquit, cum dicitur ingenuus, negatur secundum Essentiam Generatio. Euthymius in part. 1. Panop. tit. 7. Cigni non est Natura, sed Hypostasis, nam si esset Natura, nequaquam in eadem Natura genitum consideraretur & ingenuum.

Quartum Testimonium Athanasii lib. 2. de Trinitate contra Anomæum. Pater, Filius & Spiritus Sanctus ingeniti sunt Essentiæ, similia habet & Ephrem Sermone de Pœnitentia, ubi inquit, unam consubstantialis Trinitatis Naturam ingenuam. Vide eundem de reprehensione sui ipsius.

Quintum est, August. lib. 7. de Trinitate cap. 2. Nata Sapientia, in uno eorum, quod nata est, & Verbum, & Imaginem, & Filium intelligi, & in his omnibus nominibus non ostendi Essentiam, quare latere dicuntur. Infer natum intelligi Verbum, Imaginem, Filium, non intelligi Essentiam natam, ob textum Augustini. Et in his omnibus, nominibus, inquit, non ostendi Essentiam. Favet & sermone 64. de Verbis Domini, secundum Joan. c. 6. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso, non participando, sed in semetipso. Infer quomodo non participando habet Essentiam & vitam, si illius Essentia & Vita est genita. Lib. etiam de Fide & Symbolo c. 4. ait de ipsa Patris Substantia natus est, idem existens, quod Pater. Infer non existeret idem quod Pater, si Essentiam haberet genitam, cum Patris Essentia sit ingenita, nec tenebit illud, quod voluit prædictus Recentior, absolutè distingui Patrem à Filio, quomodo enim absolutè distinguitur, si idem existit quod Pater.

Possent & alia plura testimonia adferri. Explicando autem Auctoritates in oppositum, tenendum est quod via generationis habeat Substantiam sibi communicatam, secundum explicationem supra allatam, tenendum & hoc erit, quod frequenter sub nomine substantiæ acceperint Hypostasim Patres. Vera autem est Propositio, quod divina Hypostasis Hypostasim generet.

III. AUCTORITAS est Basilii apud S. Thomam de erroribus Græcorum. *Ipse Filius, inquit, quem dat nobis Pater, est Deus, de Deo essentialiter genitus, habens in se totam essentiam Patris genitam.*

RESPONDETUR. Filium habere totam Essentiam Patris genitam, hoc est viâ generationis communicatam. In oppositum est idem lib. 5. contra Eunomium Ingeniti appellatio significat, quomodo se habeat substantia Dei, & quod nata non sit.

IV. AUCTORITAS est Hilarii lib. 4. de Trinitate, *Nihil nisi natum habet Filius.*

RESPONDETUR. Ideo id dici, quia Esse habet viâ generationis communicatum.

V. AUCTORITAS est Florentini ubi fusè defenditur idem esse dicere Filium esse natum, ex Patre vel à Persona Patris, atq; dicere ex substantia Patris.

Patris. Ergo si ante omnem præcisionem est verum quod Filius sit ex Persona Patris, verum etiam erit quod sit ex Essentia, vel ab Essentia Patris.

RESPONDETUR. Hoc solo sensu id verum esse, quem etiam inibi intendit Concilium, quod Filius sit natus, ex fecunditate Naturæ divinæ. hoc autem sensu Filius est ab Essentia Patris.

INSTAT. Veræ sunt hæ Propositiones in sensu reali, sumendo Essentiam pro Persona, Essentia generat. Essentia generatur. Essentia procedit, sicut etiam hæ. Essentia non generat, Essentia non generatur. Essentia non procedit, sine ulla contradictione, nam licet Essentia sit singularis, quatenus est realiter indivisibilis, in plures Essentias, quia tamen habet multipliciter realem Personalem, potest supponi indefinite & particulariter, imò hæ Propositiones Essentia generat, Essentia non generat, non sunt contradictoriae, sed subcontrariae, sicut non sint contradictoriae. Persona generat, Persona non generat.

RESPONDETUR. Sumendo Essentiam pro Persona, vera est Propositio Essentia generat. Sed nego ita illam sumi debere, ob phrasim Lateranensis, quod definit. Essentia non generat. Concedo has, Persona non producit, Persona producit non esse contradictorias, sed subcontrarias, quia pro alia Persona supponit affirmatio, pro alia Negatio. Non est autem alia Essentia generans seu genita, alia non generans seu non genita, consequenter hæ non sunt subcontrariae sed contradictoriae.

Colliguntur quadam.

COLLIGES I. Quis sit Processus totius hujus difficultatis, asserit communis sententia, si non detur distinctio formalis ex natura rei in Divinis, dari saltem Distinctionem virtutalem, negavit utrumque hic recentior. Instat communis sententia per fidem, Essentia non generat, Paternitas generat si Ly Natura & Ly Paternitas non distinguuntur. Ergo implicabit Mysterium Trinitatis, quia de indistinctis, hæc duo verificari non possunt.

RESPONDET. Recentior, etiam Essentiam generare.

INSTAT. Communis sententia. Lateranense Concilium definivit, quod Essentia nō generet.

CONTRA hoc inculcabatur. Debere aliquo sensu sumptam Essentiam non generare, & quidem nemine cogitante, ut ita salvetur & Mysterium Trinitatis, quod est nemine cogitante, & Decretum Lateranensis, casu autem quo ostendatur, in quo sensu sumpta Natura non generet, cum Paternitas generet, sequenter duo. Imprimis inter Naturam sic sumptam & Paternitatem debere poni distinctionem, ne de eodem indistincto verificetur: generat, non generat, deinde sequitur unum prædicatum convenire Naturæ nemine cogitante, quod non conveniat Paternitati, nemine, inquam, cogitante, quia nemine cogitante, datur Mysterium Trinitatis,

in quo est Natura Divina, de qua enuntiavit Lateranense non generat, & Paternitas, de qua enuntiatur quod generet.

COLLIGES II. Si quis cum Joachimo diceret, non esse in Trinitate unitatem veram, sed per consensionem &c. manifeste esset Hæreticus. Cæterum ita enuntiat Ruiz, loco citato Sect. 4. n. 3. Si quis expressè profiteretur Essentiam divinam esse realiter unam, propriè ac verè &c. Si tamen assereret propriè loquendo, ac de rigore sermonis esse, veras hujusmodi Propositiones Essentia generat, Essentia non generat, &c. foret ejus sententia non modò temeraria, sed etiam periculosa, & errori proxima, casu autem, quo affirmaret eum modum loquendi non esse proprium, ac de rigore sermonis, in hoc eventu, Propositiones illæ, licet merito censerentur inconsideratæ, improprie, ac temerariæ, non tamen essent erroneæ, nec periculosa. Hæc ille.

COLLIGES III. S. Thomam in Joachimo, reprehendere in prima parte q. 39. art. 5. in (.). quod dixerit Essentiam generare. Verba Textus sunt: *Respondendo dicendum, quod circa hoc erravit Abbas Joachim, asserens, quod sicut dicitur, Deus genuit Deum, ita potest dici, quod Essentia genuit Essentiam, considerans, quod propter divinam simplicitatem, non est aliud Deus quam divina Essentia.* Inferriq; clarè potest mens hæc Joachimi ex illo quod agebat Joachim. Si essentia non generat quaternitatem fore, non Trinitatem, alii autem Auctores reprehendunt potius in illo, quod posuerit essentias tres distinctas, inter quas sola sit consensio. Unde etiam dicunt per directum hoc solum esse damnatum in Joachimo, cum etiam non sit damnatus Richardus, qui docuit ante Joachimum Essentiam generare. Videntur tamen posse complanari hi Auctores si attendatur ad duplicem in hac Materia errorem Joachimi. Primum errorem magis impugnandum accipit S. Thomas, posteriorem errorem alii Auctores.

DIFFICULTAS III.

Utrum dentur in Creatis Præcisiones Objectivæ.

DICENDUM est. Dari Præcisiones objectivas in Creatis. Videtur hæc sententia esse etiam Aristotelis, qui primo posteriorem text. 39. ait: Dari naturam talem quæ præter particulares & singulares naturas, & trianguli naturam, præter quosdam particulares triangulos, & tamen per oppositos trianguli natura, sunt ipsi trianguli particulares.

PROBATUR I. Quia nihil vetat illas dari. Si autem nihil vetat illas dari hoc ipso dabuntur, quia ea quæ sunt necessaria, si nihil vetat ut sint, hoc ipso erunt. Ut autem aliquid possit præscindi objectivè, est quid necessarium, Quod autem nihil veter dari præcisiones objectivas exinde colligetur, quod ad solvendas objectiones adhibebitur, respiciendo autem ordinariū fundamentum Adversariorum illud non convincit. Si enim non darentur præcisiones objectivæ in Creatis,